



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 15. Ob muscarum Ethnicos muscarum Deos exagitasse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

§. XV.

Ob muscarum metum, Ethnicos muscarum
Deos exagitasse.

Grauitas huius pœnæ, non è molestia tantum & vexatione, sed etiam ex pernicio & effectu, exemplisque potest æstimari. Hinc Aegyptij Ibés suas, contra serpentiũ aduentum, & Elei Myiagron (sicut Olym- pij Myioden) deum, muscarum multitudine pestilentiam afferente, inuocauerunt. Quale etiam, teste S. Hieronymo, Beelzebub idolum est Accaron, sic vocatum, in quarto Regum volumine, quasi dicas, Idolum musca. Principem autem demoniorum, ex spurcissimi animalis vocabulo appellabant Iudei, quod musca dicitur, propter immunditiam, qua ex- terminat suauitatem olei. Hebræi odio & derestatione Accaronitarum, qui illis diu infesti fuerunt, principem demonum, Beelzebub, solebant vocare, eadem scilicet voce, qua illi summum suum deum nominauerunt. Nominarunt autem sic, vel quia illum ad muscarum calamitatem auertendam inuocauerunt; vel quia multo victimarum sanguine illud Idolum aspersum, semper muscis plenum, obsidebatur. Tanti fæbat ab illis gentibus muscarum vexatio,

Plin. l. 10.
nat. hist.
cap. 28.

S. Hiero-
nym. in
cap. 10.
Matth.

vt ad eam auerruncandam proprium Numen destinandum iudicarent: rectius facturi, si verum Numen non offendissent, quod muscas scelerum vltrices excitauit.

§. XVI.

Apum in furem furor.

Fortunat.
Presb. in
vita S.
Medardi.
& Sur.
tom. 3.

Sed in exemplis, quæ sacris, quæ profanis videamus, quid muscæ possint. Inter quas & apes computantur, & vespæ, & crabrones, & deniq; minorum gentium examina. De apibus illud tradit Fortunatus presbyter. S. Medardi Ecclesia, inter raris opes, apum aluearia habebat, ea nocturnus fur rapacissimis manibus tollebat. Apes, etsi alioqui, in tenebris, quietæ, tamen vbi lauernionem senserunt, facto agmine, nebulonem aggressæ in fugam vertunt. Neque contentæ, eum à stationibus suis repulisse, fugientem aculeatis stimulis sauciantes pertinacissimè sunt persecutæ, nec à puncturis antè destiterunt, quam reus plagis vndique tumidus, & apibus, toto corpore, circumseptus, ad ipsum D. Medardum, nolens volens peruenisset. Itaque ad sancti pedes supplex prouolutus, crimen fatetur, veniam precatur, opem flagitat. Non sunt ad ignoscendum difficilis